Al ch. sig.r Cav.e Luigi Passerini
Infermiz gratissimo 2

PHILIPPI SCHIASSII

ET

MICHAELIS FERRVCCII

CARMINA

Digitized by Google

PHILIPPI SCHIASSII

AD MICHAELEM FERRVCCIVM

ET

MICHAELIS FERRVCCII

AD PHILIPPVM SCHIASSIVM

ET ALOISIVM SALINAM

CARMINA NONNVLLA

Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

VIRG.

Digitized by Google

TIBI

CAELESTINE · CAVEDONI

SODALIVM · SVAVISSIME

NVLLIVS · EXPERS · ERVDITIONIS

OB · VETVSTATEM · VNIVERSAM

DOCTIS · LABORIOSISQ · OPERIBVS · ILLVSTRATAM

TOTIVS · EVROPAE · PRAECONIA · IAMDIV · ADEPTE

MICHAEL · FERRVCCIVS

TVA · AMICITIA · A · BONONIENSI · CONDISCIPVLATV · INITA

MERITO · LAETVS

MVNVSCVLVM

ANIMO · LIBENS · MITTO

QVOD · CARVM · TIBI · ACCEPTVMQVE · FORE

MAGISTRI · OPTIMI · INCOMPARABILIS

RENOVATA · SPONDET · MEMORIA

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILIPPI SCHIASSII

AD MICHAELEM FERRVCCIVM

CARMINA

I.

Macte animo, patrii spes o certissima Luci,
Et quam coepisti perge tenere viam;
Hanc tibi Morcellus patefecit maximus auctor,
Hanc nullum vidi currere te citius.

Bononiae. XV. *k. Nov. an.* MDCCCXVIIII.

II.

Planta tot auricomos prodis si parvula foetus,
Quot iam, proh superi, quos et adulta feres!

Bononiae. VI. *n. Maias an.* MDCCCXX.

Heus tu, inquiet aliquis, qua fronte vel quo tandem consilio e scriniis, ubi adhuc latuerant, ista profers? An ut ignotum verba te nobis daturum speras? Ego vero quid homines minus benevoli, ne obtrectatores dicam, de huius libelli editione iudicaturi sint, nihil moror: ita namque vixi, eos labores in iuventute humanioribus disciplinis, non loco, non caelo eodem, instituenda per quinque et triginta annos exantlavi, eos denique diuturnorum laborum multarumque vigiliarum cepi fructus, ut nihil aliud

Digitized by Google

profecto restet, nihil iam mihi optandum sit magis, quam ut reliquum aetatis tempus in iisdem exercitationibus, sine molestia ac omni prorsus relegata ambitione, consumere liceat. Quid enim est iucundius senectute stipata studiis iuventutis? quid senectute optabilius in iis artibus desudante atque elaborante, quae a prima aetate susceptae emolumentum progredienti ac decus pepererunt? Ceterum haec propterea me protulisse profiteor, ut ab iis potissimum legantur, qui Schiassii scripta magnifaciunt, eiusque modestiam atque in iudicio de aliorum lucubrationibus ferendo benignitatem, nonnulli etiam in se experti, probe noverunt. A quibus equidem gratiam me aliquam initurum confido, quod tanti viri carmina, quae latinae venustatis plurimum, ut Schiassii omnia, habeant, et rerum etiam factorumque commemoratione non iniucunda omnino nec inutilia futura sint, in tenebris diutius latere et aliquando etiam, ut fere fit, perire non siverim.

III.

Das Pistorino qui, dulcis amice, petenti,
Ornes laudibus ut Stullion egregiis,
Egregiis idem Morcellum ut laudibus ornes,
An te, te credam posse mihi abnuere?
Pol! neve ipse meus iam tu Ferruccius esses,
Essem iam ipse tuus neve Philippus ego.

Pertinent haec ad annum M. DCCC. XXVIIII. quo Michaël Ferruccius rogatus ab Aloisio Pistorino med. chirurgo collegiato Bononiensi latinum commentarium exaravit vulgavitque *De vita et scriptis Lucae Stullii* medici Ragusini, viri multarum litterarum, a Catharina Franceschia Ferruccii uxore italice redditum.

Digitized by Google

IIII.

O factum bene! quod tibi sit uni,
Ferrucci egregie, haec tributa cura,
Vt stilo qui adeo vales latino
(Nam mî Tullius alter es Neposve)
Stullii medica eminentis arte,
Stullii physicam et poësim et omnes
Docti insigniter eruditiones,
Stullii sapientis optimique,
Patriae decoris, suorum amoris,
Laudes colligeresque diligenter,
Lucido ordine traderesque chartis.
Proh! quanta ex opere hoc tuo eleganti,
Magno quod studio, dolensque frater
Bonus expetit, expetunt amici,
Quanta, inquam, ex opere hoc tuo eleganti
Stullioque tibique fama crescet!
O factum bene! quod tibi sit uni,
Ferrucci egregie, haec tributa cura.

V.

Inclyta Morcelli resonat dum fama per orbem,
Divini effusis foetibus ingenii,

Digitized by Google

Scripturum te digna viri praeconia summi,
Te quoque, Ferrucci, gloria quanta manet!
Auguror; immensas pennis en utraque plagas
Nomina praepetibus consociata petunt.
Eia age: Morcellus te caelo hortatur ab alto,
Ac tibi iam plaudit; gaudet et ipse sibi.

VI.

Quae mihi reddita sunt, eadem tibi reddita sunto:
Tu, mi Ferrucci, scilicet alter ego.

VII.

Eia age, rumpe moras, Ferrucci. Dulcia nostri
Carmina Salinae prodere quid dubitas?
Vna viri te forte haerere modestia cogit:
Hac illi una in re te rogo displiceas.

Ex a. d. IIII. *id. Iul. an.* MDCCCXXXIIII.

Salinae carmina, quae hîc indicantur, Bononiae prolata in lucem sunt sub initium anni M. DCCC. XXXV. hoc titulo: *Aloisii Salinae Com. Eq. cor. ferr. Advocati epigrammatum* μονοβίβλος, *Michaëlis Ferruccii commentariis subiectis.*

VIII.

Praestans haec nobis Raphaël dedit aurea dona:
Grates tu referas; vix agere ipse queo.

Digitized by Google

Raphaël. Id vero lectoribus debetur, ut sciant hunc esse Raphaëlem Notarium Barnabiten, rhetorem eximium, de politiori humanitate egregie meritum eundemque scriptorem operum probatissimorum. Ferruccius autem Schiassio suo roganti perlibenter obsequutus est, missis ad Notarium huiusmodi versiculis:

Quî referam dignas Raphaël tibi docte, Philippus
Quum noster grates vix agere ipse queat?
Quid? (nostri verbis te nempe rogabo Philippi)
Quid? num te latuit qualia cuive dares?

VIIII.

Iudicium enixe Caldanus poscit amicis
Hoc de opere a doctis: praecipue a te igitur.
Tu dabis, haud dubito; quod Caldanoque mihique
Gratum adeo, nil ut gratius esse queat.
Tute immo, rogo (nam magis ac magis id mihi gratum)
Caldano tu, inquam, nomine scribe meo.

Caldanus. De Floriano Caldano Bononiensi mentio hîc est, qui Leopoldo patruo, anatomico magni nominis, in magisterio Patavino successor impositi muneris partes praeclare obivit, amoenioribus quoque studiis, quibus a prima iuventute deditus fuerat, et illustrium virorum amicitiis mirifice ad exitum usque delectatus.

X.

Quam sint haec nihili carmina quae petis,
Ferrucci, haud opus est me tibi dicere:
Dicent ipsa eadem carmina iam nimis;
Haec ut sit potius me tibi non dare,

*

Quem Musae et Charites a teneris amant,
Phoebus quem ipsemet in deliciis habet.
At quamvis nihili, do tamen haec tibi;
Haec, inquam. Mutuus namque amor efficit,
Poscenti ut nequeam quaelibet omnia,
Ferrucci, tibi plane omnia non dare.

XI.

Te rogo, Michaël, rogare quamvis
Nihil est opus, obferas ut hancce
Montii eximii, pereruditi
Salinae eximio, pererudito
Praeclaram undique lucubrationem.
Quumque muneris id sibi fuisse
Gratum agnoveris (ac sibi futurum
Gratum non dubito) illa tunc ad aurem
Poteris iam aperire candideque,
Heri quae tibi dixi amico amicus,
Scripto tradere quaeque submolestum.
Nil porro, Michaël, mihi necesse
Est quidquam addere. Scis probe tenesque
Tangunt omnia quae tuum Philippum.
Salinae interea meo tuoque
Haud te dicere plurimam pigebit
Verbis ex animo meis salutem.
Hanc dico et tibi. Tu me amare perge.

Montii eximii. Caietanus Laurentius Montius Bononiensis philosophus, medicus, botanicus idemque Praeses Instituti Marsiliani vir fuit mira ac prope incredibili eruditione, quam pietas, modestia et complures aliae virtutes cumulabant. Eius Opuscula et Sermones, doctrinae ac latinae eloquentiae splendore quam maxime commendandos, ex autographis, quos apud se asservabat, in lucem prodidit Schiassius noster, qui et copiosissimam ornatissimamque orationem, me praesertim hortante ac fere impellente, de illius laudibus emisit, a se habitam non. Novembr. an. M. DCCC. XXV. in Lyceo magno Bononiensi, quum studia sollemniter instaurarentur. Montiana vero lucubratio, quae hîc designatur, Sermo est de Lege Poetelia, quem, item ac nonnullos alios eiusdem Montii de aliis legibus Sermones, Salinae suo Schiassius nuncupavit epistola festivae, ita vivam, elegantiae, in qua extrema de hisce hendecasyllabis ad me datis sic scribit: *Mihi porro id unum satis est, quod Ferruccius tibi quum sit acceptissimus, sermonem, quem ad te deferet, praestet quodammodo acceptiorem. Vt autem deferret, eum per litteras rogavi. His de litteris forte is tecum sermonem iniiciet. Sunt eae siquidem novi, ut ita dicam, generis: nam prosa ne oratione sint, an versu exaratae, haud facile dixeris. Earum ad te exemplar mitto, ut quum ego inter scribendum subriserim, subrideas tu inter legendum. Cura ut valeas.*

Domi. III. *id. Ian. an.* MDCCCXXVIII.

XII.

AD FERRVCCIOS FRATRES

ALOIS. CHRYSOSTOMVM ET MICHAELEM

Morcelli vitam magni sermone latino
Vobis, dispeream, scribere si valeat
Commodius quisquam, par o mirabile fratrum,
Morcellum egregio qui stilo uterque refers.

Hoc unum referat quisnam mage nescio vestrûm:
Scribat uter vitam haud quaero: modo alteruter.

Haud abs re fuerit πάρεργον instar hendecasyllabos hîc adiungere, quos Schiassius ad Marium Valdrighium com. mutinensem (is porro cui sit ignotus? quum eleganti ingenio singularique humanitate praeditus et in bonarum artium studiis versatus praeclaris cuiusque generis scriptis rem litterariam auxerit) anno M. DCCC. XXVII. misit, quo Valdrighius ἀνέκδοτα Torquati Tassi carmina edidit disertissimeque illustravit, ut Michaëli Ferruccio Catharinen Franceschiam, Valdrighio ipsi affinitate propinquam, uxorem ducenti gratularetur.

AD MARIVM VALDRIGHIVM COM.

quum de nuptiis Michaëlis Ferruccii amici eius meique elegantissima epistola in vulgus edita gratulatus esset.

O quam tu ex animo, quam et eleganter,
Valdrighe optime, de tuo meoque
Docto Iuppiter! aureo atque amico,
Faustus cui modo Hymen dedit puellam,
Doctam Iuppiter! auream et puellam,
Quam, inquam, tu ex animo, quam et eleganter
De nostro Michaële gratularis!
At quid praestem ego? Gratulabor ipse
Vtique ex animo, haud quidem eleganter,
De tua tibi gratulatione.

Philippus Schiassius.

MICHAELIS FERRVCCII

AD PHILIPPVM SCHIASSIVM

ET AD ALOISIVM SALINAM

CARMINA

I.

Morcelli, fateor, saepe aurea scripta revolvo;
Is mihi monstravit, quam teneo ipse, viam.
At nisi tu lateri comes atque adiutor adesses,
Quî possem abrupti scandere montis iter?

Luci in Aemilia. x. *kal. Nov. an.* MDCCCXVIIII.

II.

Proh! quam falleris, auree o Philippe,
Tua ista nimia benignitate,
Me valere stilo putans latino
Scriptorem illepidum atque ineruditum.
Te unum qui merito omnium italorum
Fama Tullius alter es Neposque,
Te sane decuisset eleganti
Tuo isto calamo explicare laudes
Stullii sapientis optimique,

Digitized by Google

Patriae decoris, suorum amoris.
At quando grave onus mihi receptum
Abiecisse nefas, manum admovebo
Expetito operi: stilo referre
Tua o possim utinam diserta scripta!
Quantum esset pretii meo libello!
Tu namque egregius mihi magister,
Vnus tu merito omnium italorum
Fama Tullius alter es Neposque.

III.

SANCTO PHILIPPO NERIO

DIE EIVS FESTO REDEVNTE A. MDCCCXXXVI.

VOTVM

PRO PHILIPPO SCHIASSIO

Iam tumor ecce mei abscessit de crure Philippi;
Iam rectus geminis stare valet pedibus.
Muneris hocce tui est, Neri sanctissime, cuius
Propitium toties sensimus auxilium.
Quo tua festa die laeti celebramus, ad aram
Dona animo en ferimus suppliciter memori.
Eia age, namque potes, tota hoc te mente precamur,
O morbi praesens exime relliquias.
Tunc aram ipse petet sospesque vigensque Philippus,
Tunc referet grates ipse tibi innumeras.

IIII.

Quod liceat tandem lecto erepsisse, Philippe,
  Qua patet ac totam visere, ut ante, domum
(Celsam seu mavis turrim conscendere, et urbem
  Collesque inde avidis cernere luminibus,
Felsineos colles, queis nil iucundius axe
  Omnia collustrans sol videt aethereo:
Scalarum longos emensus postea tractus
  Seu mavis viridi credere te nemori,
Quod parvo eductum spatio, mirabile visu,
  Excoluit cunctis ars tua deliciis;
Namque hîc non desunt flores, non unda, nec antrum;
  Hîc tituli, hîc aevo diruta templa iacent)
Gratulor hoc tantum, dolui quantum antea, amato
  Quum timui trepidans quid gravius capiti.
Verum est quod tota accipimus quae gaudia mente
  Crudeli heu! nimium turbet amaritie.
Fama refert, certo ut firmes vestigia gressu,
  Lente incedentem nitier in baculo.
At tibi quid baculo est opus, o venerande magister?
  Eia istum dextra proiicias baculum.
Me, me, adsum, precor, in me agesis incumbe; senectae
  Haec aetas fulcrum debuit esse tuae.
Ipse tuo affixus lateri, quocumque lubebit
  Ire, sacrum nunquam defugiam officium.

Quare meo haud dubites te suffulcire lacerto;
  Sic, sic, crede, viam tutius ingrederis.
Ne propera; ecce, viden', praeeo tibi passibus aequis,
  Optato intentus dum fruor alloquio.
Quid memoro, ah! demens? animi quo me abripit aestus?
  Vt finxisse sibi gaudia doctus amor!
Tertia iam fruges arvis demessuit aestas,
  Et iam quarta parat bruma gelu atque nives;
Ex quo me insignis studiorum laude Geneva
  Detinet, heu patriis quam procul a laribus!
Mens tamen Alpino decurrens vertice, Rheni
  Sistit me saepe ad flumina Felsinei;
Et te praesentem statuit mihi saepius: o tunc
  Quam facile falsis ludor imaginibus!
Sed quando me istinc arcet vis improba fati,
  Nec datur incessu te regere in dubio,
Arte laboratum quem nunc tibi mitto bacillum,
  Ne renuas, nostri pignus amoris habe.
Fors erit ut dicas faciens vestigia: amicus
  Hunc absens misit qui memor usque mei.

Genevae. Mense Novembri an. MDCCCXXXVIIII.

Geneva. Michaël Ferruccius, Bononia anno M. DCCC. XXXVI. invito animo relicta, quam patriam alteram sibi fore heu frustra speraverat, ad latinarum litterarum magisterium in Academia Genevensi summa honoris significatione accitus, eo munere functus est usque ad annum M. DCCC. XXXIIII. quo Pisas immigravit, ut ibi historiam rerumque antiquarum scientiam in Lyceo magno profiteretur. Ceterum non Etruriam ille, unde

maiores eius orti sunt, caram adeo habet, ut Genevae officiorumque omnis generis, quibus et a collegis doctissimis et a Genevensibus civibus benigne ac liberaliter cumulatus est, unquam obliviscatur. Quibus singulis universisque utinam aliquando gratiam referre possit, habebit quidem certe, dum vita erit.

Quidni et versiculos subiungam, quos Io. Casp. Orellio Doctori Academiae Turicensis inscripsi, quum ad praestantissimum illum aevi nostri criticum elegiam hanc vix dum absolutam mitterem?

Perfrictae nae frontis ego, quem tantula tanto
  Mittere Aristarcho carmina non pudeat?
Sed tibi multa foret virtus si nota Philippi,
  Si, quibus obstrinxit me sibi, promerita
Possem cuncta tibi iusto sermone referre,
  Dicere et absentem queis fovet officiis;
Carmina quum nequeas, laudares denique mentem,
  Quae versu esse cupit grata vel horridulo.

V.

Laeta bono eventu plaudat tibi Felsina mater,
  Doctorum et quantum est plaudat ubique virûm.
Grande opus a longo susceptum tempore, cura
  Quod perfecisti nocte die adsidua,
Et decies eadem lance expendente severa,
  Ut deducta suis omnia sint numeris,
Haud morbo, haud studiis saeclo tardatus iniquo,
  En totum optanti traditur Ausoniae.
Huius ope, edocuit scriptis quae maximus auctor
  Morcellus, linguae splendida laus Latiae,
Luce nova fulgent, atque ordine didita miro
  Iam fiunt cunctis perspicua ingeniis.

Digitized by Google

Huius ope et titulis, produnt quos marmora in aevum,
  Iam nitor accedet nudaque simplicitas,
Quales commendant veterum monumenta Quiritum,
  Lati ubicumque manent relliquiae imperii.
Sed me praecipue, dum circumfusa tuorum
  Turba animi certat pandere laetitiam,
Ipse licet nequeam dignas persolvere, grates
  Munere pro tanto me retulisse decet.
Vni quippe mihi (tua quae praeclara voluntas;
  Sic studio caperis, sic pietate mea),
Vt pater extremum nato dat pignus amoris,
  Haud dubitas librum credere Palladium.
O quoties operis quae prima in fronte renidet
  Lecta mihi est cupidis littera luminibus!
O quoties subito madefacta est pagina fletu!
  Quum memori absentis corde resurgit amor.
Hei mihi quam longa terrarum abiungimur ora!
  Mene adeo carum deseruisse patrem?
Limina qui crebro mihi pridem nota petentem
  Excepit puro candidus hospitio.
Illic dulce fuit studiis incumbere honestis,
  Exigui foetus promere et ingenii;
Vt quae imprudenti exciderant, monstrante magistro,
  Lima iterum expoliens sedula corrigeret.
Si qua etenim a docto mihi laus quaesita labore,
  Ista, libens fateor, quantulacumque, tua est.

Digitized by Google

Singula quid referam? Tria magna volumina testor,
  Quae, ut praesens, aetas postera suspiciet.
Hisce tuo nostrum sociatum nomen, in annos
  Victurum effugiet temporis excidia.
Spero equidem, gratae quae per te praemia mentis
  Ipse fero, fructu non caritura suo.
Nam dum clara tui non nemo exempla sequutus
  Felix fronde caput cinget Apollinea,
Nostra aliquis facile incensus pietate, merentem
  Doctorem omnigenis iuverit officiis.

Genevae. Mense Quintili an. MDCCCXXXX.

Grande opus. Lexicon intellige Epigraphicum Morcellianum, quod tribus voluminibus forma quadrantaria comprehensum Bononiae evulgatum est. Eiusdem operis specimen sive potius epitomen iam inde ab anno M. DCCC. XXX. ut magistro suo gratificaretur, in lucem emiserat Ferruccius hoc titulo: *Excerpta e Lexico Epigraphico Morcelliano vocibus italicis in usum tironum digesta*. Cuius quidem laboris socium se illi adiutoremque triennio ante praebuerat Ioannes Galvanus com. equestri dignitate, qui tum Ferruccio latinarum litterarum praeceptore utebatur, quique exquisita eruditione, acri iudicio editisque gravissimis operibus is postea evasit, ut non Mutinae solum, quae patria illi est, sed Italiae universae ornamentum iure optimo habeatur.

VI.

Tonsoris nimii officiis cultusque molesti
  Pertaesum, barbam pascere te accipio.
Etsi iam pridem pro vita puriter acta,
  Proque ista qua me amplexus amicitia

Digitized by Google

Te veneror, gnato pater ut non carior, ullum
  Nec nostro nomen dulcius ore sonet;
Quam tamen incano vellem te cernere mento!
  Credo, oculis fieres sanctior ipse meis.
Sic olim aethereo succensus amore Philippus
  (Effigiem testor), sic tulit ora senex.
Hic sibi te, serum caelestia templa petentem,
  Agnoscet facie ut moribus adsimilem.

Genevae. an. MDCCCXXXXI.

VII.

AD ALOISIVM SALINAM COM. EQVIT.

En baculum, Salina, meum quo dono Philippum,
  Nostri mnemosynon servet ut obsequii.
Qui bonus incomtum haud renuisti tradere carmen,
  Quaeso, idem baculum tradere ne renuas.
Omnia namque suo quae dat Salina Philippo,
  Expertus dico, grata Philippus habet.
Nempe ut versiculis accessit gratia, misso,
  Te dante, accedet quid pretii et baculo.

Genevae. non. Decembr. an. MDCCCXXXVIIII.

VIII.

Quae mihi de nostro scribis, Salina, Philippo,
  Implerunt tristi pectora amaritie.

Nimirum haec prohibet me dulcis munere somni·
  Nocte frui, haec mentem cura die excruciat.
Vsque mihi ante oculos cari stat imago magistri,
  Invida sors cuius me abscidit a latere.
Ergo erit, ut vafri male nata scientia iuris,
  Heu pudor, heu pietas! te, venerande senex,
« Nec dictis unquam, nec factis laedere quemquam,
  « Omnibus immo omnes excipere officiis
« Cui sollemne fuit »; series non una nepotum
  Quem patruum experta est alterum amore patrem;
Te, te, inquam, subito fortunis omnibus orbet,
  Deceptum indigne credulitate tua?
Ah! pereant leges, si tantum admittere crimen
  Fas legum (Themis o parce) patrocinio.
Nunquam ego contentus parvo parvoque beatus
  Optavi immodicis crescere divitiis;
Vt mea centenis renoventur rura iuvencis,
  Altaque sit multo trita cliente domus.
Quanta ferat secum bene novi incommoda census,
  Queis misere exurat corda cupidinibus.
At modo quam vellem vetus ut tellure reclusus
  Thesaurus mihi se protenus obiiceret;
Quo senis eximii innumeris auctus benefactis,
  Pectore quae grato tempus in omne colam,
Saltem aliqua potuissem ex parte rependere damna,
  Vno illi hoc saltem consulere officio.

Digitized by Google

Sed me vana tenent rerum; nec vana medelam
  Afflicto possunt vota adhibere viro.
Salina, aversas docte o componere mentes,
  Cuius inest ori gratia suaviloquo;
Nunc, age, nunc magno tutamen praebe sodali,
  Est tibi qui teneris iunctus ab unguiculis:
Quicum, vix primum viridi florente iuventa,
  Ardua Pindi ausus per iuga ferre pedem;
Qui tecum faustis patriae laetatus, iniquis
  Tecum idem patriae casibus ingemuit.
Deme, precor, (quamquam haud precibus locus ullus) amici
  Deme hunc moerorem, hanc tristitiam ex animo.
Egregias placide rursum ut conversus ad artes,
  Artes queis tota claruit Italia,
Iniusta quos nocte premit, festinet in auras
  Praestantis foetus exserere ingenii.
Ista tuae merito accedet pars maxima laudi:
  Dicéris laesae tutor amicitiae.
Parva quidem haec nostra; insignis sed gloria facti
  Scribetur nostris tunc quoque carminibus.

Genevae. x. *kal. Mai. an.* MDCCCXXXXI.

Privata haec sunt ac prorsus domestica, quae pluribus exsequi nec oportet nec vero necesse est. Hoc tantum, ad ea, quae materiam huic elegiae praebuerunt, satis cognoscenda, scire lectorem iuvabit, Schiassium nempe nostrum, quum esset summa senectute et perdita valetudine, in eo fuisse, ut facultatum omnium suarum iacturam faceret.

« *Nec factis unquam nec dictis laedere quemquam.* Desumpta haec sunt e tetrasticho Schiassiano, cuius integram sententiam libenter adscribimus, ut magis magisque innotescat quantum vir ille magnus propter incredibilem modestiam innatamque ingenuitatem ab omni semper arrogantia inanique iactatione abhorruerit. Illud porro est huiusmodi.

Auctor de se ipso.

Nec dictis unquam, nec factis laedere quemquam,
Omnibus immo omnes excipere officiis,
Id sollemne fuit nobis; haec unica nobis
Laus est; iam vero quaerimus haud aliam.

Est tibi qui teneris iunctus ab unguiculis. De suavissima ac prope fraterna amicitiae coniunctionisque necessitudine, quae Schiassio cum Salina perpetuo intercessit, liceat nobis afferre, quae Schiassius ipse in epistola quadam ad Salinam suum candide suo more elegantissimeque profitetur. *Iam... inde a teneris annis, quod vere affirmare possumus, arctissimis mutuae benevolentiae vinculis coniuncti fuimus; quam quidem benevolentiam cum aequalitas eorum studiorum, quae adolescentibus fere omnibus communia sunt, primum peperit, tum nec eorum, quae postea pro diverso vitae instituto sequuta est, diversitas, nec temporis diuturnitas, nec rerum vices vel minimum unquam imminuerunt. Quam iucunda, mi Salina, accidit mihi, credo equidem et tibi, illius primae aetatis recordatio! In qua nihil non utrique commune (quod amicitiae proprium est) nihil non fuit apertum. In politioris vero humanitatis exercitationibus illis nostris, quas tum habere cum aequalibus modo privatim, modo etiam publice solebamus, quam erat quisque nostrum de alterutrius laude studiosus ac prorsus sollicitus! ut alter ab altero semper, quoquo fieri modo posset, est adiutus! in quo tamen memini te mihi non tam condiscipulum mei amantissimum, quam prope magistrum exstitisse. Fateor quod verum est: ea nequeo tempora mente recolere, quin commoveri me sentiam vehementer. Nimirum id est iam senescentis aetatis, ut iuventutis quae fuerunt, non sine quadam animi suavitate reminiscamur.*

Ecquis est, cui talia legenti Tullianum illud statim non succurrat? *Omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmior, quam quum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti.* (De Off. I. 17).

VIIII.

Haec lacrimis madefacta meis et conscia luctus
  Serta tibi mitto florea, Loïside;
Quae nostri, haud pigeat, tumulo suspende Philippi,
  Ad vos posthabita dum propero Helvetia.
Tunc moerens cari veneratus sacra magistri
  Ossa et natalis tactus amore soli,
Ipse novam obtulerim vario de flore corollam;
  O, precor, huic aestas duraque parcat hiems!

Genevae. idib. Maiis an. MDCCCXXXIIII.

Praeposuimus haec τῷ ὑπομνηματίῳ de Philippo Schiassio, quod, ut vides, Salinae nostro dedicavimus. Decessit Schiassius placidissimo sanctissimoque exitu XV. kal. febr. a. M. DCCC. XXXIIII. quum ageret aetatis annum LXXXI. quanto Italiae, nedum Bononiae moerore nihil attinet dicere. Is enim fuit, de cuius funere non cives modo, sed exteros etiam dolere par fuerit. Sed nos, nos praecipue ea iactura perculsi fuimus, auctore orbati studiorum optimorum, magistro virtutum omnium, immo parente altero, qui nos quidquid sumus, tantuli quamvis sumus, fecit esse. Biennium a Schiassii decessu nondum effluxerat, quum Salina et ipse naturae cessit XVII. kal. Novembr. an. M. DCCC. XXXXV. aetatis anno LXXXIII. ingens patriae, suorum notorumque omnium desiderium et luctus.

Praesidium o nostrumque decus, dulcissime uterque,
  Maxima uterque urbis gloria Felsineae,
Non vos ulla dies, non sors mortalia versans
  Hoc poterunt memori diluere ex animo.

PISIS. EX OFFICINA NISTRIANA A. MDCCCLVI.

99 359062

Digitized by Google